

seine Seele nicht ohne die Gottheit ist / darauß folget / daß seine Gottsheit nicht ohn den Vater und Heiligen Geist ist / darauß folget / daß im Sacrament auch unter einer Gestalt die Seele Christi / die heilige Dreypfältigkeit gessen und getruncken wird / 2c. Und wer wil alle Folge immermehr erzehlen ? Aber zuletzt folget auch darauß / daß alle solche Folger Esel / Narren / blind / toll / unsinnig / rasend / thöricht und tobend sind ; Diese Folge ist gewiß 2c. Sunt verba Beati Patris nostri, in scripto de utraqve specie Sacramenti, edito Anno 28. Tom. 3. Germ. p. 574. 6. & 7. Fuerunt vulgares epulæ. Et, si Emaunti sub una specie instituisset, non Laicis, sed Clericis distribuisset. Absit ergo Constantiensis Concilii decretum vere impium & blasphemum ; hoc non obstante, quod Christus aliter instituerit, Apostoli aliter administrarint, tamen volumus, Laicis sub una specie distribui Sacram. Cœnæ.

8. *An repositio panis eucharistici approbanda ?*

Neg. Quia Christus dixit ad discipulos : edite, bibite &c. non vero includite, reponite. Deinde : Sacramenta extra usum, vel actionem divinitus institutam, non sunt Sacramenta. Figmentum hoc quoque saniori antiquitati ignotum, ab Innocentio Tertio in Concilio Lateranensi primum introductum est.

9. *An liceat Eucharistiam circumgestare ?*

Neg. Quia destituitur exemplo & mandato divino, praxi orthodoxa, inducit Artolatricam, evertit finem hujus Sacramenti &c.

10. *An Panis Eucharisticus sit adorandus ?*

Negatur, ut supra fuit. Objicit Bellarminus ; Christum in pane adorari. Resp. Christum adorandum urgemus, sed panem Eucharisticum una adorandum constanter negamus, quia sic Creator & creatura pari honore afficerentur, quod Scripturæ ignotum. Transsubstantiatio, cui hæc superædificare volunt, Scripturæ fulcro destituitur, ut q. 5. fuit Et cõmittitur idololatria, nõ tantum immutatione objecti, sed & modi cultus, exemplo Israelitarum Exod. 32.

11. *An digna ad S. Cœnam preparatio sit, quod homo non ullius mortalis peccati sibi conscius sit ?*

Neg. Sic enim sanctissimi non ut digni accederent, cum nullus homo sit sine peccato. Objic. Pontificii : 1. Cibum non dari mortuis : Sed peccatis onustos esse mortuos. 2. Hominem non ornatum veste nuptiali, esse ejectum, Matt. 22. v. 21. 3. Filium prodigum, non esse

esse